

## **Psalmus 40**

- 1 Beatus qui intelligit super egenum et pauperem:  
in die mala liberabit eum Dominus.
- 2 Dominus conservet eum et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra:  
et non tradat eum in animam inimicorum ejus.
- 3 Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus:  
universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.
- 4 Ego dixi: Domine miserere mei:  
sana animam meam, quia peccavi tibi.
- 5 Inimici mei dixerunt mala mihi:  
quando morietur, et peribit nomen ejus?
- 6 Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur:  
cor ejus congregavit iniquitatem sibi.
- 7 Egrediebatur foras,  
et loquebatur in idipsum.
- 8 Adversum me susurrabant omnes inimici mei:  
adversum me cogitabant mala mihi.
- 9 Verbum iniquum constituerunt adversum me:  
Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?
- 10 Etenim homo pacis meae, in quo speravi:  
qui edebat panes meos, magnificavit super me supplationem.
- 11 Tu autem Domine miserere mei et resuscita me:  
et retribuam eis.
- 12 In hoc cognovi quoniam voluisti me:  
quotiam non gaudebit inimicus meus super me.
- 13 Me autem propter innocentiam suscepisti:  
et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum.
- 14 Benedictus Dominus Deus Israel a saeculo et usque in saeculum:  
fiat, fiat.
- 15 Requiem aeternam  
dona eis Domine.
- 16 Et lux perpetua  
luceat eis.